

bertas, diximus in physicis, quæstione xxv, et in libris de anima, quæstione xii. Et quantum ad efficaciam divinorum decretorum, et expunctionem scientiæ mediæ pro prævisione futuri consensus nostræ voluntatis ante omnem determinationem voluntatis divinæ, diximus primo tomo, prima parte, disputatione vigesima, sectione quinta: et in secundo tomo, disputatione quinta, et septima. Quæ autem fieri possunt contra prædeterminationem istam ad materiale peccati, dicemus infra circa quæstionem lxxix. Quæ vero possunt fieri contra modum movendi per veram efficientiam, et motionem, et non solum per sympathiam, expeditivimus in libris de anima, quæstione xii. Et superfluum visum est isthic attexere argumentationes istas, quia quidquid opponi potest contra prædeterminationem istam, quasi libertati inimicam, et illius eversivam, totum abundantissime explicatur ex adstructione efficaciam decretorum Dei ab intrinseco, et ex propria ejus infallibilitate, independentem a beneficio scientiæ mediæ, quod totum præfatis locis super primam partem præstitum est, præsertim secundo tomo, disputatione quinta.

XLIV. Contra secundam ergo conclusionem potest objici ad probandum, quod appetitus sensitivus non solum moraliter, et objective, sed etiam efficienter, et quoad exercitium movere possit voluntatem. Nam in primis videtur docere D. Thomas quæstione xxvi de veritate, articulo vi et vii, ubi docet, appetitum dupliciter movere voluntatem, primo ex parte objecti: secundo ex parte subjecti ratione colligationis, et connexionis inter has duas potentias; ergo falsum est, quod solum ratione objecti moveat appetitus sensitivus. Et i part. quæstione cxi, articulo ii, dicit quod in Angelis

est motio ab exteriori principio solum uno modo, scilicet a bono apprehenso per intellectum; sed præter hunc modum etiam movetur in hominibus voluntas ab exteriori principio, scilicet a passione existente in appetitu sensitivo: ergo si hic modus est præter modum movendi ex parte objecti apprehensi per intellectum, falsum est quod solum per modum objecti moveat appetitus.

XLV. Ratione etiam probatur, quia appetitus de se movet per impulsum, et inclinationem, si quidem vere appetitus est, non autem movet per modum objecti, et manifestationis, quia potentia cognoscitiva non est: et alias non repugnat, quod ista inclinatio, et impulsus per modum redundantiam tangat voluntatem, quia appetitus sensitivus est colligatus cum voluntate in eadem anima, et sic non repugnat esse redundantiam ex una potentia ad aliam, sicut læsa phantasia, intellectus non operatur. Nec est aliqua ratio, cur appetitus non possit habere efficientiam in voluntatem, sicut voluntas in appetitum. Quod enim una potentia sit spiritualis, et alia corporea, non obstat, quia phantasia corporea est, et movet intellectum spirituales; et voluntas spiritualis est, et tamen movet appetitum sensitivum, qui est corporeus: ergo etiam poterit fieri e converso, nec est major ratio de hoc, quam de illo.

XLVI. Confirmatur, quia non requiritur cognitio ut possit moveri voluntas ab aliquo principio, sicut movetur voluntas ab habitu facilitante, et ab auxilio Dei imprimente, et determinante, et tamen nec habitus, nec concursus movent mediante cognitione sui. Ergo similiter passio poterit movere sine cognitione sui, solum propter impulsu suum: et præsertim si sit ca-

sus, quod existant in duobus hominibus æqualia iudicia, verbi gratia, de vindicta sumenda, et unus habeat iram vehementem, alius non: ille qui habet majorem iram, vehementius movebitur, et non mediante iudicio, quia hoc æquale est in utroque; ergo per redundantiam, seu efficientiam. Quod si solum mediante iudicio appetitus movet voluntatem; ergo etiam mediante solo iudicio desinit movere, et resistit voluntas; ergo habitus ad resistendum vehementibus passionibus in intellectu, ubi est hoc iudicium, ponetur, non in voluntate, qualis est habitus continentiam, prout distinguitur a castitate, et temperantia, quæ resistit vehementibus concupiscentiis, ne deducatur homo a suis passionibus. Unde ponitur in voluntate a D. Thoma 2-2, quæstione clv, articulo iii. Et tamen si solum mediante iudicio, et non aliter appetitus movet voluntatem, erit hoc movens in intellectu, ubi est iudicium, non in voluntate.

XLVII. Respondetur, D. Thomam in illo loco citato ex quæstione xxvi, de veritate, nullo modo ponere motionem appetitus in voluntatem efficienter, et applicative, sed objective, solum enim docet, quod passio potest se habere vel ut objectum voluntatis, quia est volita, vel ut excitativa voluntatis, vel ut effectus ex voluntate imperatus, et consecutus. Duobus primis modis passio solum movet objective, quia si est volita, objectum est, si excitativa, etiam objective se habet, quia ab objecto excitatur voluntas. Tertio autem modo non movet voluntatem, sed est effectus ejus, et ab ea movetur. Illa vero motio ratione colligationis, reduci debet ad aliquem ex istis modis, quos ibi solum ponit D. Thomas de quo statim amplius dicemus. Ergo neutquam dicendum est, quod passio movet effective, et applicative voluntatem secundum D. Thomam, sed solum objective. Quando vero dicit prima parte, quæstione cxi citata: « Quod homo movetur ab exteriori principio, scilicet ab appetitu alio modo quam movetur Angelus a bono apprehenso, » dicitur, quod hoc non significat alio genere motus, seu motionis moveri hominem ab exteriori principio, quod est appetitus sensitivus, quam moveatur Angelus a bono apprehenso, sed alio modo intra idem genus movendi motione objectiva, et per propositionem, seu apprehensionem objecti. Itaque non vult dicere D. Thomas quod Angelus moveatur ab objecto apprehenso uno modo tantum, id est, in uno genere motus quod est per propositionem objecti, homo vero etiam præter hunc modum, in alio genere motionis moveatur ab appetitu sensitivo; sed vult dicere, quod alio modo objectivo, et sub alio modo proponendi, præter illum, quo movetur Angelus, movetur homo, quia in Angelo solum proponitur objectum per intellectum sine alio excitativo interiori, homo vero ex eo quod habet appetitum sensitivum, habet aliud principium excitandi, quod non habet Angelus, et præter modum, quem habet Angelus, licet in eodem genere movendi, quia in Angelo solum apprehenditur objectum per intellectum, et solum spirituali motivo vestitur; in homine autem non solum spirituali motivo, sed etiam ipso passionis affectu vestitur objectum ut appareat conveniens, quam convenientiam induere non potest in Angelo, in quo solum spirituali modo proponitur per intellectum. Sed totum hoc, quod ex parte appetitus est in homine pertinet ad convenientiam objecti, qua vestitur ut alliciat, et attrahat voluntatem, quatenus convenientiam habet ex complacentia, et affectu

passionis, quod utique ex parte ob-
jecti se tenet, ut citato loco signi-
ficat D. Thomas solutione ad secun-
dum.

XLVIII. Ad rationem respondetur,
quod appetitus movet per impul-
sum, et inclinationem vires sibi in-
feriores, et proportionatas, non au-
tem voluntatem, quia est potentia
superior in ratione imperandi, et
movendi, et sic non potest appetitus
eam per modum inclinationis, et
impulsus movere, quia hoc totum
pertinet ad rationem imperandi, et
hoc modo appetitus non habet effi-
caciā movendi voluntatem, sed
ab ipsa potius imperatur, et move-
tur. Solum ergo potest movere phan-
tasia, ut intellectus percipiat affec-
tum suum, et sic illum proponat
voluntati, quo proposito objectum
illud redditur convenientius ex affec-
tu ipsius appetitus sic explicato, et
proposito. Quod totum pertinet ad
modum movendi per modum per-
suadentis, aut proponentis objec-
tum ut conveniens, vel disconve-
niens ob affectum, quo inflamma-
tur appetitus, et per ordinem ad
quem objectum illud hic et nunc
conveniens apparet.

XLIX. Quod vero dicitur non re-
pugnare quod appetitus moveat vo-
luntatem per modum redundantia
propter colligationem partium, res-
pondetur non sufficere istam sym-
pathiam quomodocumque, sed cum
aliqua superioritate, et subordina-
tione ejus quod movetur respectu
sui moventis. Constat enim omnes
potentias esse colligatas, et radica-
tas in eadem anima, non tamen
quamlibet posse movere aliam, sicut
potentia auditiva non potest movere
visivam, vel e contra; nec nutriti-
va loco motivam progressive, vel e
contra, licet omnes colligatæ sint,
et radicatæ in eadem anima. Requi-
ritur ergo specialis aliqua subordi-
natio, et subjectio ut dicatur hæc

moveri ab illa potius quam e con-
tra; nec sufficit sola colligatio, et
sympathia, seu unio potentiarum in
eadem radice animæ, quia hæc non
magis se habet ex parte unius,
quam alterius. Cum ergo appetitus
non subordinet sibi voluntatem, sed
potius subordinetur ipsi, non pote-
rit effective, et applicative movere
voluntatem, sed potius ei subjecietur
appetitus, et ipsi dominabitur
voluntas, juxta illud Genes. iv: *Sub-
te erit appetitus ejus, et tu domina-
beris illius*. Quod vero appetitus sit
corporeus, non obstat quominus
illum moveat voluntas, eique domi-
netur, quia naturaliter spiritus do-
minatur corpori, illudque movet,
sicut Angeli movent cælos, et anima
corpus. Obstat autem hoc ipsum, ne
appetitus moveat voluntatem, quia
corporeus est, illique inferior, nec
comparatur ad illam ut movens ad
motum. De phantasia autem dici-
mus, quod cessante ipsa cessat in-
tellectus, non quia per se, et ratione
sui fit efficiens in intellectum, sed
quia præbet materiam, seu objecta,
unde intellectus agens eliciat spe-
cies, et iste est qui efficienter mo-
vet per productionem specierum in-
tellectum possibilem. Et sic ces-
satio phantasiæ est per defectum
materiæ, non efficientiæ in intellec-
tum.

L. Ad confirmationem responde-
tur semper requiri cognitionem ut
voluntas moveatur; sed hæc cog-
nitio requiritur ex parte objecti ut
proponatur, eo quod objectum non
movet, nisi ut cognitum. Non vero
requiritur ex parte aliorum princi-
piorum, quæ ad elicientiam actus
concurrunt, inter quæ habitus est
principium concurrrens ut forma
afficiens, et informans ipsam vo-
luntatem, et tamquam dispositio fa-
cilitans ipsam ad operandum, non
autem ut quoddam extrinsecum mo-
vens sive specificans, sive finali-

zans, et alliciens. At vero passiones
appetitus non sunt dispositiones in-
tus afficientes voluntatem, sed so-
lum ab extrinseco possunt movere.
Et cum non possint extrinsece effec-
tive, et applicative movere volunta-
tem, quia inferioris virtutis, et mo-
tionis sunt, cum sint quid corpo-
reum, fit consequens, quod solum
possunt extrinsece movere ratione
convenientiæ repræsentatæ ipsi in-
tellectui, et propositæ voluntati, quia
sentit conveniens sibi esse, vel dis-
conveniens tali affectu, et passione
duci hic et nunc, quia objectum
passionis instat: hoc autem totum
est movere objective, quia quod re-
præsentatur, et proponitur, objec-
tum est.

LI. Quod autem dicitur, quod
stante æquali iudicio potest ille, qui
habet passionem vehementius mo-
vere voluntatem præ alio, omnino
negandum est: nam in eo, qui mo-
vetur a vehementiori passione, ne-
cessario formandum est diversum,
et inæquale iudicium practicum, si
quidem talis passio, et affectus de-
bet repræsentari in uno, et non in
alio; si enim non repræsentetur,
non movebit, nec vehementius vi-
gebit. Nec tamen propter hoc po-
nendus est habitus continentia, in
intellectu ad resistendum passioni-
bus, quia hæc resistentia non fit
per manifestationem objecti tantum,
sed præcipue per resistentiam, et
dissentium voluntatis, seu non con-
sensum ad objectum propositum ex
parte appetitus, inde enim repræ-
sentatur intellectui disconvenientia
ad consentiendum passioni, et ejus
objecto. Consentire autem, et dis-
sentire ad voluntatem spectat.

LII. Contra primam conclusio-
nem, præter ibi dicta, adhuc potest
feri argumentum. Nam D. Thomas
pluribus locis docet voluntatem, seu
partem appetitivam esse passivam,
et bonum apprehensum esse quasi

activum, ut videri potest i p. quæst.
LXXX, articulo II, et in hac prima
secundæ quæst. XXVII, articulo I,
et II, ubi docet, quod bonum appre-
hensum, seu objectum active cau-
sat amorem, et voluntas est poten-
tia passiva ab ipso objecto. Et idem
docet quæstione XXX, articulo III
ad secundum, quod objectum appe-
titus, quod est bonum apprehen-
sum, est activum ex quo causantur
concupiscentiæ. Et generaliter pro-
bat infra quæst. XXII, articulo I,
quod ratio passionis magis inveni-
tur in potentia appetitiva, quam in
apprehensiva. Non potest autem esse
passiva, nisi respectu sui objecti, et
objectum voluntatis est bonum ap-
prehensum; ergo bonum apprehen-
sum est activum, si quidem poten-
tia ei correspondens est passiva.

LIII. Ratione quoque probatur,
quia ipsa specificatio qua ab objec-
to determinatur potentia est aliquis
effectus in rerum natura; ergo de-
bet habere aliquod proximum effi-
ciens, hoc non est voluntas; ergo
debet esse intellectus, seu bonum
apprehensum. Primum enthymema
negari non potest, cum illa specifi-
catio sit aliquid creatum; ergo est
effectus positus in rerum natura.
Antecedens secundi enthymematis
probatur, quia voluntas de se est
indifferens ad actum hujus, aut
illius speciei, verbi gratia ad amo-
rem vel odium, iram vel gaudium;
ergo ex ipsa, in quantum talis, non
potest procedere illa specificatio,
quia id quod est indifferens, in quan-
tum tale, est in potentia ad operan-
dum; nullus autem effectus proce-
dere potest a suo efficiente nisi prout
est in actu; ergo voluntas cum sit
in potentia, et in indifferentia non
potest esse efficiens principium illius
specificationis, ergo intellectus. Si
dicatur voluntatem ut determina-
tam a suo objecto apprehenso, spe-
cificationem hanc producere, quod